

quos in vicinia nancisci poterat libros ipse contulerat, inter quos unus Vitebergensis hac cura non plane erat indignus, excerptseratque quidquid ante eum publici iuris factum erat. praeterea autem cum ab aliis tum ab Imm. Bekkero codicum Italicorum (Venetorum maxime) excerpta acceperat minime sfernenda, denique Mediceum iusserat a Tychonis Mommseni spectata diligentia conferri; idem scholia Medicea descripserat¹⁾. itaque quamvis multa desiderarentur ac vel de Medicei memoria ipse Hermannus subinde dubitaret, tam largam materiam crederes studia grammaticorum excitaturam fuisse, ut praestarent quod Hermanniana aetas nondum curaverat recensendi officium. contra accedit; ne paratis quidem quisquam usus est. edixerat enim Cobetus Mediceum et Aeschyli et Sophoclis unicum esse codicem, ceteros omnes ex eo pendere corruptos a sciolis magistellis. rationes edicti reddere supersedit, sed confidentia et auctoritate traxit plerosque omnes. deinde demonstrasse idem visus est W. Dindorfius commentariis in Philologi vol. 18. 20. 21. editis sane locupletibus. utebatur enim nova Medicei conlatione, quamquam minime absoluta, atque Tricliniani (Farnesiani) scholia adeo proponebat multa²⁾, fortasse etiam alia noverat; noluit enim accurata referre. nec desunt quae rectissime observaverit, Medicei correctiones recentes e libris deterioribus petitas esse (18, 81), scholia quae B vocari solent Thomae Magistri esse (20, 5). sed haec ipsa quantumvis utilia vulgo neglecta sunt, cum Dindorfio fidem haberent adfirmanti, abicienda esse omnia utpote a Byzantinis magistellis profecta, salutem esse in uno Mediceo. nescio quid alii hodie sentiant, cum Dindorfiana legant; mihi cum ea nuper perlustrarem, visus est ipse sententiam suam absolutissime refutasse. ait enim nihil probi apud recentiores inveniri quin magistelli illi commenti essent. atqui cum scaenicorum poetarum quintam et ultimam parabat editionem, in una Prometheus fabula plus centum stellulis notavit lectionem recentiorum Mediceo praelatam: nonne Byzantini isti, de quibus Cobeti asseclae sine contemptu non loquebantur, ipsos istos criticos tam

¹⁾ Inde Hauptius Op. I 313 schol. Pers. 49 accuratius edere poterat. paullo ante Franzius Septem ducum argumentum e Mediceo protulerat. Hauptium ne promisso scholiorum edendorum staret, Oxoniensis Dindorfi editio (1851) deterruisse videtur; sed non credo praesto ei quidquam boni fuisse praeter Medicei collationem Mommsenianam.

²⁾ Persarum collationem non credo ei magis praesto fuisse quam ceteris; ego enim primus Triclinii (et Florentini F) emendationes haud paucas edo, velut v. 275, 687, 896, 932, 1022.